

**Dissertatio medica inauguralis, de fluxu lochiorum immodico / quam ... pro gradu doctoratus ... subjicit, Joannes Millar.**

**Contributors**

Millar, John, 1733-1805.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Sands, Donaldson, Murray, et Cochran, 1757.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kk5pptb8>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D I S S E R T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S,

D E

Fluxu Lochiorum Immodico :

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E ,

Ex auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. JOANNIS GOWDIE, S. T. P.

A C A D E M I A E E D I N B U R G E N A E P R A E F E C T I ;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,

E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C A E d e c r e t o ;

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S  
R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ,

E R U D I T O R U M E X A M I N I S U B J I C I T ,

J O A N N E S M I L L A R , A . & R .

Ad diem 5 Octobris, hora locoque solitis.

*Admonent crebrae puerperarum mortes quanto periculo temerariis manibus traduntur, et quam necessaria sit medicinae scientia, si quando diversis causis gestationi non cognatis obstetricium implicetur, quarum periculo occurrere omnino medicorum est.* MANNINGHAM.


E D I N B U R G I :

Apud S A N D S , D O N A L D S O N , M U R R A Y , et C O C H R A N .

M D C C L V I I .

36764/P

348108




PRAESTANTI ADMODUM VIRO,  
GEORGIO BAILLIE,  
DE JERRISWOOD,  
ARMIGERO:  
NEC NON,  
AVOSUO,  
JOANNI GIBSON, M.D.  
TENTAMEN HOCCE MEDICUM,  
IN GRATI ANIMI INDICUM,  
EO QUO PAR EST OBSEQUIO,  
DICATUM VOLUIT  
JOANNES MILLAR.



## B R E V I A R I U M C A P I T U M .

	PAG.
INTRODUCTIO,	I
CAP. I. <i>De naturali lochiorum excretione,</i>	3
CAP. II. <i>De fluxus lochiorum immodici signis,</i>	8
CAP. III. <i>De fluxus lochiorum immodici cau-</i> <i>sis,</i>	12
CAP. IV. <i>Fluxus immodici lochiorum praesa-</i> <i>gia,</i>	15
CAP. V. <i>De fluxus lochiorum immodici cura-</i> <i>tione,</i>	18
PARS I. <i>De generali fluxui lochiorum im-</i> <i>modico medendi methodo,</i>	ib.
PARS II. <i>Monita quaedam, ad fluxus lo-</i> <i>chiorum immodici curationem, quatenus</i> <i>a diversis causis, spectantia,</i>	26
EPILOGUS,	29



Digitized by the Internet Archive  
in 2018 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30359788>

D I S S E R T A T I O M E D I C A ,  
D E  
L O C H I O R U M F L U X U I M M O D I C O .

I N T R O D U C T I O .

MISERA videtur foeminarum fors ; non solum, quippe, plerisque quibus viri laborant, sed et multis aliis morbis, quorum hi immunes degunt, infelices tentantur. Providus equidem rerum opifex in corporibus foeminarum extruendis summam suam posuit solertiam ; quae partes maxime ad generationis officium datae, cum structuram essent concinnam habiturae ac pulchram, eas omni artis molimine paratas esse curavit ; longam interim malorum seriem, insignemque morborum catervam, exinde voluit oriri : ut de aliis taceam, quae toedia, quae incommoda, quos morbos secum affert graviditas ? quo moerore, qua anxietate, infando quo

A dolore

dolore excruciantur parturientes? et post partum feliciter enixum, ob lochia tarde aut nimium fluentia, quas non puerperae luunt pœnas? Haec omnia cum in foeminis diras edant strages; apud viros certe, medicinae praesertim cultores, dolores earum leniendi morbosque depellendi summam cupiditatem excitare debent.

INTER morbos autem quibus excruciatur sexus amabilis, gravissimus est, tam frequentia quam magnitudine, irregularis lochiorum excretio; nimium enim ex utero post partum profluvium, aut cito foeminam e medio tollit, aut mille praebet anfam malis. Lochiorum suppressio quamvis haud adeo subitam minatur perniciem, symptomata secum affert aequa periculosa, et, nisi cito adhibetur medela, *ad Stygias certo limite dicit aquas.*

AT cum utriusque mali tractatio, licet brevissima, vix intra limites hujusmodi tentaminis contineri posset; quae praecipua videntur et hucusque maxime comperta de immodico lochiorum fluxu, nunc tantum dicere aggrediar: atque, ut haec perspicue atque ordine tradam, primo differendum erit, natura monstrante viam, de regulari lochiorum excretione: dein signa

signa et causas fluxus immodici, et quae de his haberi possunt praesagia, enarrabimus : denique remedia proponemus, quorum ope crudeli hoc morbo laborantibus licet subvenire, ac sanitatem iis, quantum fieri potest, restituere.

## C A P. I.

*De naturali lochiorum excretione.*

SUPERVACANEUM esset hic loci referre varias et inter se maxime discrepantes medicorum opiniones de natura et origine lochiorum : omni igitur ejusmodi disputatione præterita ; quae maxime perspicua videtur, ac naturae consentanea, hujus rei rationem reddere progrediamur.

AD hunc igitur scopum animum attendenti, sequentia sedulo sunt observanda.

§ 1. “NULLA in toto corpore pars tam numerosa vasorum copia est instructa, ac ipse uterus; quippe qui, testante injectionum artificio, totus ferme est vasculosus : accipit enim vasa et arteriosa et venosa, partim a

A 2       “ spermaticis,

## 4 DE LOCHI ORUM

“ spermaticis, partim hypogastricis, partim et-  
“ iam ab iliacis \*.”

§ 2. “ VASA non recto, sed valde anfractuo-  
“ so, tortuoso, et veluti serpentino fluxu, per  
“ uteri substantiam discurrunt †.”

§ 3. “ VENAE arteriis longe sunt capacio-  
“ res, ac valvulis plane destituuntur ‡.”

§ 4. “ Ex his (§ 1. 2. 3.) clare patet, circu-  
“ lum sanguinis, et cumprimis refluxum, per  
“ venas uteri valde tardum in statu etiam na-  
“ turali esse; et hinc uterum, praे aliis parti-  
“ bus, nimiis humorum congestionibus, vaso-  
“ rum infarctionibus, distentionibus, et hae-  
“ morrhagiis obnoxium existere ac aptissi-  
“ mum ||.”

§ 5. UTERI moles, autem, non vasis sanguin-  
feris et serosis folis constat, sed partim quoque  
fibris elasticis, et, uti videtur, vere musculo-  
sis, quae miram distractionem patiuntur, et, re-  
mota causa expandente, insigni, qua praeditae  
sunt, contractilitate, ad pristinum statum re-  
deunt. Hac vi motrice fibrarum uteri recte  
secundumque naturam se habente, liber et  
expeditus fit humorum circuitus per ejus va-

\* Hoffman. tom. 3. § 2. cap. 9.

† Id. ibid.      ‡ Id. ibid.      || Id. ibid.

sa, omnesque fere functiones quae ad uterum pertinent, rite peraguntur.

§ 6. UTERUS, (§ 5.) mirifica potentia elastica, qua gaudent ejus fibrae et vasa, incredibilem in modum distendi et explicari, sicut fit in graviditate; ac excreta sarcina, sicque cessante distentionis causa, sponte rursus contractari, coarctari, et ad pristinum statum ac spatiū redigi potest \*.

§ 7. DUM in utero gerit mulier, dilatantur sensim vasa omnia eum irrigantia (§ 1.), praecipue venosa (§ 3.); orificia eorum, antea vix visibilia, adeo augentur, ut calamus scriptorius, imo apex minimi digitii, intromitti queat †.

§ 8. VASORUM lumina in uteri cavum hiantia, placentaे furculis occluduntur; quo naturae molimine praecavetur ni sanguis ad foetus nutritionem datus per laxa eorum ora labatur.

§ 9. VENAE et arteriae secundarum cum vasis uteri, minime anastomosi, sed appositione potius, communicant: purior et subtilissimus qui ad uterum devehitur sanguis, vasis placen-

\* Hoffman. loc. citat.

† Morgagni advers. anat. iv.; Edinb. Physical Essays, vol. i. artic. 17. & 18.

## 6 D E L O C H I O R U M

tae capillaribus absorptus, idoneam foetui tenero nutritionem praebet; crassus vero sanguis per venas uterinas ad matrem reddit \*.

§ 10. VASORUM dilatatione (§ 7.) foetusque incremento, in magnam molem crescit uterus, venas iliacas comprimit, circulum sanguinis ex membris inferioribus redeuntis quodammodo impedit, imo sanguinis sui ipsius (§ 9.) refluxui remoram utcunque dat †.

§ 11. TEMPORE gestationis peracto, cum jam parturit mulier, contrahuntur et relaxantur vicissim diaphragma et musculi abdominales, aortam inferiorem comprimunt, sanguinemque versus uterus, jamjam humorum congestionibus infarctum (§ 1. 2. 3. 4. 9. 10.), majore adhuc copia propellunt; adeoque maximum habent sanguinis copiam vasa uterina ipso parturiendi tempore.

§ 12. Excusso igitur onere, placentaque divulsa, sanguis gestationis et parturitionis tempore accumulatus (§ 7. 8. 9. 10. 11.), per vasorum ora (§ 8.) jam patula illico profluit ad

\* Medical Essays, art. 9. § 16.

† Edinb. Physical Essays, vol. 1. art. 17. sub finem.

libram semis, imo aliquando ad libram unam aut alteram \*.

§ 13. VASIS autem depletis (§ 12.), omni-que extraneo uteri contractionem impediente evacuato, fibrae musculares propria sese con-trahunt elasticitate (§ 5. 6.), vasa priora sua lumina recuperant, lentisque gradibus ad pri-stinam molem reddit uterus.

§ 14. DUM vasorum lumina sensim coar-ctantur (§ 13.), ruber sanguinis color paulisper in pallidiorem vergit; primo fit coloris lu-ridi, instar loturae carnium; dein humor fero-sus, coeruleus vel fuscus, profluit; postremo liquor lymphaticus, tenuis, pellucidus, rarissi-me viridis, lentius lentiusque destillat. Pro-fluvium hocce, quamvis ad vigesimum usque diem durat, quotidie tamen copia minuitur; sanguis enim vasorum uterinorum (§ 5. 6. 13.) nunc sese contrahentium resistentiam superare impar, per venas iliacas, ab omni compressione (§ 10. & 12.) jam liberas, solita deflectit via.

§ 15. HAEC est (§ 12. 13. 14.) salutaris illa puerarum evacuatio, quae lochia vulgo nun-cupatur. Causa efficiens hujus profluvi est uteri ejusque vasorum, post foetus et secunda-

\* Smellie's midwifery, p. 402.

## 8 DE LOCHIORUM

rum expulsionem, contractio; (§ 6.) ejusdem vero purgationem a fordibus et sanguine recre-  
mentitio gestationis et parturitionis tempore accumulatis (§ 11.) pro finali agnoscit.

### C A P. II.

*De fluxus lochiorum immodici signis.*

§ 16. **I**MMODICUS dicitur lochiorum fluxus,  
cum sanguis aut humores lymphatici  
copiosius et impetu majore quam in statu na-  
turali (§ 12. 13. 14.) ex utero post partum  
effunduntur: de nimio autem profluvio haud  
temere statuendum; hanc enim evacuationem,  
non frustra, sed ex summa sua bonitate, pu-  
erperis dedit benignus naturae parens; ut va-  
forum nempe suffocationi (§ 15.), uteri inflam-  
mationi, dirisque hinc prodeuntibus malis, ob-  
viam iret. A symptomatibus igitur potius quam  
a fluxus copia aut duratione judicandum est;  
foeminae enim robustiores sine ullo incommodo  
magnam patiuntur evacuationem, dum in pe-  
riculo mortis versantur delicatulae, ex parvo  
admodum impendio: quare, uti optime dixit  
medicorum

medicorum princeps, Τὰ χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεμαχίσθαι, ἀλλ', ὡς ἀν χωρέη, οἷα δῆ, καὶ φέρει ευφόρως· καὶ, ἵνα δῆ μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τότε ποιέειν, ήν ἔξαρκέσῃ ὁ νοσέων \*.

ITAQUE re ipsa moniti, ad symptomata fluxus immodici jam progrediamur.

§ 17. EST, primo, hujus morbi species quae paucis admodum stipatur symptomatibus; in ea enim tanta copia et violentia ex vasis uterinis prorumpit sanguis, ut labefactentur subito aegrae vires, exhauriatur liquidum vitale, in syncopen cadat misera, morsque cito tragoediā claudat.

§ 18. IN altera hujus morbi specie lentius est profluviū, et parcus; imo cito interdum definit rubri sanguinis stillicidium: liquor autem sanguineus aut lymphaticus copiosius quam par est ex utero profluens, sequentia saepissime inducit symptomata, et eo quidem quo traduntur ordine.

§ 19. PALLIDA fit mulier, languida, et debilis; crebris corripitur horripulationibus, cum respiratione difficillima, summa anxietate, pul-

\* Hippocrat. aph. 23. lib. 1.

10 DE LOCHIORUM

su citato, debili, et parvo: horrores calore et rubore excipiuntur, per vices tamen remittunt; et incerti admodum sunt tam reditu quam duratione: his cito accedit laffitudo, gravitatis sensus, vertigo, viriumque prostratio. Atque hic quidem est primus fluxus immodici gradus, qui curationem non difficilimam habet.

§ 20. CUM latius serpit malum, dolet caput, gravior accedit vertigo, et summa circa praecordia depressio, ac se non aliter habet aegra quam si onus pectori imponatur; respiratio fit citior; ipse vultus vividi coloris gratiam amittit, cavantur oculi, et quae juxta sunt ossa prominent; dies inquietos noctesque insomnes agit misera. Pulsus in hoc morbi stadio valde irregularis, nunc mollis est et languidus, rarus et tardus, mox deficit; brevi iterum formicans, seu vermiculans intercurrit.

SUBITUS aliquando exoritur in facie calor, dum extremae partes membrorum inalgescunt; imo haud raro rubent malae, dum frigidissimi sunt nasi et aurium apices, fronsque gelidis diffuit sudoribus. Secundus igitur hic est morbi gradus, qui rarissime accepit medelam.

§ 21. HUNC denique excipit ultimum hujus  
morbi

morbi stadium, in quo omnia in pejora ruunt: putridi et corrupti fiunt omnes corporis humores, et id quod ex utero profluit horrendum olet: praecordiorum fit summa angustia, et anxietas prorsus intolerabilis; pulsus tremulus, ferratus, et languidissimus, aliquando creberimus, plerisque vero ante obitum omnino intercedit: respiratio nunc alta, crebra, et diffilima est; spiritusque totus fere e naribus fertur, atque frigidus emittitur; nariumque pinnae contrahuntur et dilatantur vicissim: pallor luridus faciem deformat: oculi concavi fiunt, nares acutae, et tempora collabuntur: scapulae foras veluti alae prominent: totum nunc corpus mali odoris est: lacrymae diffluunt: profluit alvus: pedes intumescunt: accedit singultus, animi defectio, nervorum distentio, gelidus sudor, extremorum frigus, tremor cordis et syncope, omnia certissimae mortis nuntia: horrendae autem totius corporis convulsiones ab omnibus hisce malis miseram haud raro subito et violenter abripiunt.

## C A P. III.

*De fluxus lochiorum immodici causis.*

§ 22. **C**AUSAE ad hunc morbum praedisponentes sunt, primo, fibrarum laxitas et debilitas: dein tenuis, aquosa, et soluta sanguinis diathesis: denique scorbutica totius corporis, vel acris ipsius sanguinis indoles: fibrae enim laxae et debiles ea orbantur elasticitate (§ 6. & 13.), qua contrahi debent uterus ejusque vasorum lumina: sanguis porro solutus, tenuis, aquosus per patula vasorum ora (§ 12.) profluit facillime: si autem adsit insuper scorbutica vel acris quaevis sanguinis indoles, acrimonia et foeda corruptione vasa exedit et erodit, adeoque faciliorem sibi praesternit viam.

§ 23. INTER ea quae huic morbo nascituro ansam praebent, merito numerari possunt, (1.) febris, (2.) graviora animi pathemata, (3.) plethora, (4.) dolores in partu diurni et vehementiores, (5.) medicamenta fortiora ad partum promovendum incaute propinata, (6.) sanguis coagulatus, placenta aut placenta frustula in utero relicta, quodcumque de-

nique

nique sanguinis motum et impetum auget, aut uteri contractioni renititur.

§ 24. IN febre cum semper augeatur sanguinis vis, imo et rarefactio, intensius etiam erit momentum quo vasorum latera ferit; hinc solidorum in fluida actio, et horum in illa reactio, multum etiam augetur: vasa autem uterina maxime jam distenta et debilitata (§ 11.), aucto humorum impetu devicta, patulam sanguini irruenti praebent viam.

§ 25. IN gravioribus animi pathematibus, validius se contrahit cor, respiratio fit citior, et acceleratur sanguinis motus, imo in vasa aliena aliquando protruditur: nemini igitur mirum erit sanguinem rapidissime et nimia vi circumactum, per vasa uterina dilatata (§ 12.) qua data porta ruere.

§ 26. A nimia sanguinis copia non solum dilatantur vasa sanguinea; serosa etiam et lymphatica disrumpuntur, qua fit, ut, data levi occasione, sanguis ruber in ea transire possit; vasa autem uterina nimiis humorum congestiōibus maxime opportuna (§ 4. & 11.), aucta sanguinis mole protinus obruta, eum copiose admodum effundunt.

§ 27. DOLORES in partu diuturni et vehementiores, non solum sanguinis vim et velocitatem

citatem augent, verum ejus particulas magis fluidas et tenues efficiunt: valida enim muscularum contractio quae in partu laborioso fit, globulos, comprimendo, attenuando, comminuendo, aptiores reddit ad transeundum (§ 7.) per vasa dilatata. Si vero, ut in partu difficile plerumque fit, dilacerentur aut rumpantur vasa, per eorum hiatus majore adhuc copia effluet sanguis.

§ 28. PHARMACA fortiora ad partum promovendum adhibita, non solum acrimonia, cor in frequentiores stimulant contractiones, at sale volatili ut plurimum referta, rubros sanguinis globulos solvunt et attenuant; quin porro, vehementiores vasorum uteri contractions fuscitant, quo factum est, ut sanguis, cum impetu et magna copia, ex orificiis arteriarum eructetur.

§ 29. SANGUIS coagulatus, placenta aut placentae frustula in utero relicta, dolores excitant perinde ac si foetus alter excludendus esset: omne denique extraneum in utero retentum huic morbo gignendo aptissimum est; uteri enim ejusque vasorum contractionem, et ad pristinum modum redditum omnino impedit; dum autem hostem expellere nititur natura, sanguis per subsultus exilit.

## C A P. IV.

*Fluxus immodici lochiorum praesagia.*

§ 30. **I**MMODICUS lochiorum fluxus nunquam non periculosus est; sanguis enim adeo ex utero aliquando profluit (§ 17.), ut ne quidem astringentibus, quantumvis fortibus, cohiberi possit; tanta autem vi ruit, ut animam cum sanguine effundat misera.

§ 31. Si vero feliciori remediorum adhibitione mortem eluserit aegra, eo tantum nomine inducias impetrat, ut lentis penitus macteretur doloribus; immodica enim sanguinis jactura polyposas circa cor et vasa maxima saepius inducit concretiones; aut in leucophlegmatiam, tabem, hydropem, et longam quae haec sequuntur malorum seriem, miseram praecipitat.

§ 32. VARIO autem instituenda est prognostis pro causarum et symptomatum diversitate; quo lentius sanguis ex utero profluit, quo faciliter profluviu fert mulier, quo aegrae temperies sanior, quo leviora omnia symptomata, eo major effulget salutis spes: contra autem,

si haemorrhagia violentior, si vacillent multum et subito aegrae vires, si adfit insuper morbosa corporis temperies, facile patet aegram in summo periculo versari: si vero pallor, languor, debilitas, anxietas circa praecordia, anhelatio, animi defectus, artuum tremor, lipothymia, et motus convulsivi superveniant, scire licet aegram brevi fatis concessuram.

§ 33. IMMODICUS lochiorum fluxus qui a febre originem duxit, eo majus vel minus periculi habere judicatur, quo febris acutior vel mitior. Si a sanguinis aucta velocitate, quae in partu laborioso fit, oriatur; cito fraenatur aestus febrilis, imo et ipsa haemorrhagia, sola sanguinis jaetura: si autem, cum siti ingente, pulsu duro, veloci, et parvo, invadat febris, spes in angusto sita est; indicant enim haec symptoma acrem sanguinis diathesin, qui, vasa stimulando, contractiones eorum suscitat, et febrem simulque haemorrhagiam auget.

§ 34. SI ab animi pathematibus ortum ducat hicce morbus, felix plerumque praedicandus est eventus: quamvis enim mirae narrantur fabulae, de pessimis pathematum in corpus effectis, raro adeo ingentes excitant perturbationes,

tiones, quin, pacatis gravioribus animi motibus, restituatur legitima omnium functionum oeconomia.

§ 35. Si a plethora oriatur profluvium, tantum abest a periculo, ut vix morbis accensendum sit; nimia enim sanguinis mole ipsa haemorrhagia diminuta, deplentur vasa, et propria elasticitate se contrahit uterus.

§ 36. CUM dolores in partu diurni et vehementiores huic morbo ansam praebent, infesta admodum est prognosis; periculum enim subest ne a contusione et laceratione, quae in partu difficiili plerumque accidunt, oriatur uteri inflammatio, in gangraenam, abscessum, scirrum, aut cancrum horrendum transitura.

§ 37. EMMENAGOGA nisi fortiora fuerint et larga copia exhibita, raro lethale inducunt profluvium; quamvis enim insigne excitant sanguinis ebullitionem, brevi tantum durat eorum vis.

§ 38. CUM sanguis coagulatus, placenta aut placentae frustula in causa sunt; eventus erit faustus vel infelix pro ratione temporis quo haec in utero manserunt, ut fusius infra (§ 49, lit. G.) dicendum est.

## C A P. V.

*De fluxus lochiorum immodici curatione.*

## P A R S I.

*De generali fluxui lochiorum immodico medendi methodo.*

§ 39. EXPLICATA sic naturali lochiorum excretione, signis fluxus immodici traditis, et causis adumbratis, cognitis denique indiciis quae nos vel spe consolentur vel metu terreat; idonea, quibus expugnetur crudelis hicce morbus, remedia proponere nunc ordine pergam.

§ 40. A morbi historia hactenus tradita, haec sponte nascuntur indicationes curatoriae.

1. Fluxus immodicus coercendus.
2. Vasorum uterinorum et totius corporis fibrarum tonus restituendus.
3. Debita humorum crafis procuranda.

§ 41. MORBI plerique alii curantur causas eorum averruncando; immodico autem lochiorum fluxui, a quacunque oriatur causa, mortem quippe subitam minitanti, illico obviam eundum

undum est; quo rite coercito, tempus et occasio causas ejus praedisponentes tollendi, et quae aut in solidis aut in fluidis vitiosa sunt in meliora mutandi, suppetent.

§ 42. AD haemorrhagiam uterinam coercendam, medicorum chorus, nescio qua revulsionem faciendi opinione inducti, venam secare haud dubitaverunt: ex quibus vero principiis pendeat haec praxis, aut quo consilio instituatur, mihi sane videtur haud satis hactenus explicari. Argumentum a revulsionis doctrina desumptum, multum certe prima fronte arridet; rem autem rite perpendenti, dubium admodum et equivocum videbitur.

UNICUIQUE facile patebit, quam incongruum sit sanguinem detrahere, cum ob ejus inopiam mors jam adest in limine; in tali igitur casu phlebotomiam redarguere supervacaneum esset: scribit autem eruditissimus HOFFMANNUS \*, “plethoricas quandoque immanem pati haemorrhagiam a sola sanguinis redundantia:” id quod nos quidem adeo non negamus, ut pro causa fluxus immodi ci eam copiam supra posuerimus (§ 26.). Corollarium autem quod ab auctore celeberrimo elicetur, in illa saltem de-

\* Tom. 2. § 1. cap. 4.

qua agimus haemorrhagia, merito in dubium potest revocari : “ Quod illae (sciz. quae haemorrhagiam ex hac causa patiuntur), sola sanguinis subtractione, vel etiam, si res postulat, repetita, ab incursu hujus morbi vindicari possint \*.” Observavimus alibi (§ 35.) talem haemorrhagiam vix morbis accensendam esse ; adeoque minus medicina opus est ad eam coercendam : et profecto, quamvis minus plethoricis obesse possit sanguinis missio, ne vel iis quidem prodeesse videtur ; si qua enim datur revulsio dum sanguis e vena profluit secta, omnia quae ex hac proveniunt commoda, incommodis operationem circumstantibus aut consequentibus evertuntur : fascia enim, ante et post operationem absolutam, circa brachium ligata, magis liberam sanguinis circulationem per has partes impedit, quam facta ista revulsione ad eas allici potest. Si tamen concedatur revulsionem revera fieri, nil ea prius boni praestaret quam sanguis crassus, coagulatus, in utero congestus (§ 4.), evacuatus sit : nullo autem modo melius depleri possunt vasorum uterina, quam sanguine ex ipsorum cavis misso ; topica enim haec evacuatio vasorum obstructi-

\* Tom. 2. § 1. cap. 4.

oni, infarctioni, et inflammationi optime occurrit; postquam vero extranea omnia uteri contractioni renitentia ejecta sunt foras, nullo fere negotio se contrahit uterus (§ 5. 6. 14.), vasorumque lumina occludit.

§ 43. Ex dictis (§ 42.) colligere licet, sanguinis missionem a viro eximio adeo laudatam, egregios ab eo memoratos praestare usus in fluxu mensium immodico, aut in uterina gravida cum haemorrhagia, huic autem puerarum minus convenire; imo in ea caute admodum et parca manu adhibendam esse; fluxus enim lochiorum immodicus nimiam plerumque fibrarum laxitatem pro causa agnoscit; hae autem sanguinis missione magis certe debilitantur. Si quid vero a revulsione aliquis adhuc speret, tutiorem certe, si non efficaciorem eam faciendi rationem ab HIPPOCRATE discat, curbitulam nempe ad mammae defigendo \*.

§ 44. Ut cohibeatur igitur fluxus,

A. ABDOMEN fascia ligandum est, ut fiat tanta ejus vasorum compressio quanta ab utero gravo ante partum fuerit; hac enim re impeditur nimia vasorum dilatatio, et adjutatur uteri contractio (§ 13.); sanguini etiam augetur

\* Lib. v. aph. 50.

resistentia

resistentia per aortam inferiorem transituro \*; majore itaque copia in superiorem profluet: datur adeo revera revulsio, sine ullo sanguinis dispendio.

B. Ut facilior fiat motus sanguini superiora petenti, aegra semper resupinanda: dum enim erectum sustinetur corpus, sanguinem vi cordis sursum ferri, contra ipsius gravitatem, necesse est; qua de causa majore copia in aortam inferiorem ruit: corpore autem resupinato, in vasa superiores partes irrigantia recto itinere progreditur.

C. QUIES indulgenda; a motu musculari, risu, loquela, et ab omni corpus agitante aut concutiente, cessatio imperanda; augetur enim sanguinis vis et momentum a motu violento †.

D. EA adhibenda sunt remedia, quae sanguinem refrigerant, obstructiones referant, et simul astrictiva vi pollent: haec non solum labefactatum redintegrant vasorum tonum, at sanguinis etiam impetum adeo imminuunt et infringunt, ut vasorum resistentiam pervincere nequeat. Hunc scopum haud infeliciter saepius

\* Hales's Haemastatics, exper. 7. N° 4. and exper. 22.

N° 14.

† Hales, ibid. exper. 1. N° 6. 7. 8. 9.

attigi,

attigi, sale nitro purificato, et tinctura roscarum spiritu vitrioli ad gratum acorem imbuta.

E. ASTRINGENTIA adhibenda sunt fortiora, quae citius suos edunt effectus; adeoque, in haemorrhagia impetuofiori, lenioribus haec longe anteponenda. Hujus generis sunt alumen, bolus Armena, colcothar vitrioli, pulvis stypticus, saccharum saturni, sanguis draconis, terra Japonica, tinctura antiphthisica, et Helvetii styptica; quae cum fibras corrugant, tum etiam humoribus coagulum quoddam inducunt, et gluten quasi effingunt, quo coalescunt et compinguntur vasorum lacunae.

F. BALNEI frigidi ad fibras corroborandas efficacia omnibus innotescit; hic vero minime potest adhiberi: suadent tamen nonnulli medici dogmatici linteolum plicatum, aqua fontana gelidissima, oxycrato, aut vino rubro austero madefactum, lumbis applicandum; quod sane, vasa utero vicina stimulando, et in contractiō nem fuscitando, insigne quandoque praebet auxilium.

§ 45. In prima hujus morbi specie, ad atrocissimum profluvii impetum compescendum haec fere satisfaciunt; quo facto, ad alias perficiendas indicationes datur occasio.

§ 46.

§ 46. IN altera fluxus specie minus desiderantur astringentia fortiora; ea autem quae in prima specie ad literam D memorantur, huic etiam egregie opitulantur; monita porro ad litteras A, B, C, supra tradita maxime convenientiunt.

§ 47. AD indicationem secundam et tertiam quod attinet, hae simul et semel attenduae sunt.

A. VAPORES fotuum astringentium ex corticibus granatorum, quercus, floribus balaustrorum, rosarum rubrarum, radicibus tormentillae, et similibus, in aqua ferraria aut pyrmon tensi coctis, in uteri finum missi, ad labefactatum ejus tonum restituendum proficiunt.

B. ALIIS magis arridet ejusmodi liquorum, cum alumine et saccharo saturni in iis solutis, in uteri finum per siphonem injectio; imo non desunt medici practici famae haud obscurae, qui spiritum vini tepefactum in uterus conjici praecipiunt: metuendum autem videatur, ne medicamina ista nimis acria et irritantia, mollem et teneram uteri substantiam vellicando, inflammationem inducant \*.

§ 48. FIBRARUM totius corporis corroboratio,

\* Vid. Astruc on the diseases of women, p. 161.

ratio, et debita simul humorum crafis obtinetur,

A. **DIAETA**, ex cibis analepticis, eupeptis, blandis, saepe et parca copia exhibitis, ut chylo blando demulceatur sanguis superstes, vires instaurentur fractae, spirituumque praebeatur refectione; pro potu interim communi assumento decoctum album, cum cortice cinnamomi incocto.

B. **OPIATIS**, quae blanda et anodynæ vi dolores ac motus effrenos placant atque sedant, et, praे omnibus aliis remediis, vasorum uterinorum vibrationes insolitas compescunt.

C. **CATHARTICIS** mitissimis, quae, alvum leniter ducendo, putridos auferunt humores, et dura excrementa, quae uteri cervicem premunt, adeoque dolorem et inflammationem excitant.

DIU etiam perstanto in usu remediorum astringentium et corroborantium, quibus cohibitus est fluxus immodicus; his etiam addendo corticem illam Peruvianam, omnium in hoc casu corroborantium præstantissimam,

## P A R S II.

*Monita quaedam, ad fluxus lochiorum immodici curationem, quatenus a diversis causis, spectantia.*

§ 49. **C**ORONIDIS loco quaedam subjicienda sunt monita ad morbi hujus curationem, quatenus a diversis oriri potest causis, spectantia, quae tamen ad methodum generalem minus pertinere videntur.

A. Si a scorbutica sanguinis indole pendeat morbus, ea per sua propria remedia corrígenda.

B. Si a febre oriatur, ei etiam secundum regulas ab auctoribus, qui de ea, et diversis ejus generibus, diserte scripserunt, traditas, occurrentum est.

C. Si animi perturbationes morbum suscitataverint, hae, quantum fieri potest, lenientes; et in omni quidem morbi stadio, non corpori solo subveniendum est, sed menti, atque animo multo magis, nam haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, extinguentur morbo: omni igitur ope nitendum est, ut blanda erigatur animus spe. Pulchra huic proposito

proposito conveniens narratur in Bibliis historia foeminae ex profluvio uterino liberatae \*.

“ **QUAEDAM** autem mulier quae sanguinis  
“ profluvio duodecim jam laborabat annos, et  
“ multa a multis passa medicis, omni sua re  
“ consumta, non solum nihil profecerat, sed  
“ in deterius venerat. Cum de JESU audivis-  
“ set, venit a tergo, inter turbam; ejusque  
“ vestimentum tetigit. Cogitabat enim, si  
“ vel ejus vestes attingeret, se salvam fore.  
“ Et protinus aruit ejus fons sanguinis, sensit-  
“ que corpore se ab ea miseria esse sanatam.”

Novi quidem hancce curationem a multis extra naturae leges positam esse: et longe profecto mihi alia mens est, quam ut varias theologorum de miraculis controversias inirem. Hic tamen in proclivi est observare, quod ex ipsa historia verosimillimum sit gratam animi spem sancta mulieris in **CHRISTO JESU** fiducia *divinitus* exsuscitatam, ad morbum amolendum omne fere punctum contulisse: moerore enim et moestitia, quibus longa morbi duratione obruta erat, fugatis, animoque exhilarato blanda anticipatione medelae, placidi oriuntur in corpore lenioris gaudii effectus; tri-

\* Evangelii secundum Marcum cap. 5. v 25.—29.

stitia et horribilis desperatio, cum malis inde natis, avertuntur; quo factum est, ut perspiratio aliaeque secretiones solitae rite et jucunde peragantur, ac denique omnia in viam naturae et salutis redeant; adeoque aruit sanguinis fons. Huic sententiae favere videntur ipsa Servatoris nostri verba; ei enim solita sua clementia inquit, “Tua te fiducia servavit; abi “salva, et esto a tuo malo fana \*.”

D. Si plethorica sit mulier, nihil est agendum donec minuatur sanguinis copia: medicum itaque cessare oportet dum sanguis profluat superfluus; postea in curatione secundum regulas supra traditas progrediendum est.

E. Quo longiores et vehementiores passa fuerit foemina in partuendo dolores, eo magis in usu opiatorum persistendum; ad hoc, abdomen et lumbos anodynibus emollientibus et antiphlogisticis illinere oportebit.

F. OPIATA maxime etiam adhibenda sunt, ad sedandos motus effrenos, ab inordinato emmenagogorum usu excitatos.

G. Si extraneum quid in utero relicturnum sit, nullo modo levari potest aegra; nisi id quod

\* Marc. v. 34.

in utero est educatur; peritis igitur obstetricantis manibus explorandus est uterus, ut sanguis coagulatus, placentae frustula, aut quicquid aliud intus subsistit, extrahatur: si autem adeo constrictum fit os uteri, ut digitis dilatari nequeat, parva admodum restat sanationis spes; haec enim in pus cito colliquantur, quod acre stagnando fit, vasa stimulat, et profluvium adauget, plurimaque alia inducit mala. Medela autem adhuc tentanda, sanguinem ita conservando medicamentis quae antisepticorum nomine insigniuntur, ut putredine non inficiatur. Hujusmodi sunt remedia ad literam D (§ 44.) supra memorata; balsama nativa, qualia sunt Peruvianum, Tolutanum, copaiba: huic scopo etiam inserviunt leniter et grata acida, et ea praesertim quae ex diaeteticis defumuntur.

## E P I L O G U S.

§ 50. **U**T finem faciam, claris in alma aca-  
demia Edinburgena medicinae pro-  
fessoribus, quam maxime gratias ago, ob artis  
Apollineae elementa ex inclytis eorum dictis  
libata.

30 DE LOCHIORUM, &c.

libata. Vos enim, ut ait poeta, dicta nobis  
suppeditaftis patria, atque ex vestris chartis,

*Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,  
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,  
Aurea, perpetua semper dignissima vita.*

LUCRET.

F I N I S.

